



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

Cap. III. Quomodo scribendum sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12945**



bus omnis generis movendis scientia, quantaque laus ipsa popularis utilitatis gratia assumpta: quæ tum est pulcherri-  
ma, cum sequitur, non cum arcessitur. Hæc si pervideri-  
mus, tum vere imitabimur. Qui vero etiam propria his  
bona adjecerit, ut suppleat quæ deerant, circuncidat si quid  
redundabit, is erit (quem quærimus) perfectus orator: quem  
nunc consummari potissimum oportebat, cum tanto plura  
exempla bene dicendi supersint, quam illis qui adhuc sum-  
mi sunt, contigerunt. Nam erit hæc quoque laus eorum,  
ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

## C A P. III.

*Quomodo scribendum sit.*

3 **E**T hæc quidem auxilia extrinsecus adhibentur: in iis  
autem quæ nobis ipsis paranda sunt, ut laboris, sic uti-  
litatis etiam longe plurimum affert *stylus*. Nec immerito  
M. Tullius hunc optimum effectorem ac magistrum dicen-  
di vocat. <sup>1</sup> Cui sententiæ personam L. Crassi in disputa-  
tionibus quæ sunt de oratore assignando, iudicium suum  
cum illius auctoritate conjunxit. <sup>2</sup> *Scribendum ergo quam di-  
ligentissime, & quam plurimum.* Nam ut terra alte effossa ge-  
nerandis alendisque seminibus fecundior est: sic profectus  
non à summo petitus, studiorum fructus effundit uberius,  
& fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia,  
ipsa illa ex tempore dicendi facultas, inanem modo loqua-  
citatem dabit, & verba in labris nascentia. Illic radices,  
illic fundamenta sunt: <sup>3</sup> illic opes velut <sup>4</sup> sanctiore quodam  
ærario

**A**uditionem & lectionem extrinsecus pe-  
timus: at *stylus* est à nobis ipsis. sed  
cum *styli* tractationem in duo dividat,  
*quomodo scribendum, & quid scribendum,*  
priorem partem hoc cap. tractat, poste-  
riorem quinto. *Idem.*

<sup>1</sup> Cui sententiæ.] Certior est sententia  
Ciceronis, quia loquitur Crassus, quam  
si loqueretur Antonius: quoniam alter

*præcepta constituit, alter dissimulat. Idem.*  
<sup>2</sup> *Scribendum quam diligentiss. &c.]*

Jac. Lud. Strebæus De Elect. & Orat.  
Colloc. Verb. lib. 1. cap. 7. p. 31. & seqq.

<sup>3</sup> *Illic opes velut sanctiore quodam.]*  
Vide Agellium lib. 2. cap. 10. Jan. Geb-  
hard. Crepund. lib. 3. c. 18. p. 151.

<sup>4</sup> *Sanctiore quodam ærario.]* Duplex  
fuit Romæ ærarium: alterum ex quo ad  
annuas



arario reconditæ, unde ad subitos quoque casus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quæ sufficient labori certaminum, & usu non exhauriantur. <sup>1</sup> *Nihil enim rerum ipsa natura voluit magnum effici cito, præposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem.* quæ nascendi quoque hanc fecerit legem, <sup>2</sup> ut majora animalia diutius visceribus parentum continerentur. Sed cum sit duplex quæstio, *quomodo, & quæ* maxime scribi oporteat, jam hinc ordinem sequar. Sit primo vel tardus, dum diligens stylus, quæramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus: adhibeatur judicium inventis, dispositio probatis. Delectus enim rerum verborumque agendus est, & pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi, versenturque omni modo numeri: non ut quodque se proferet verbum, occupet locum. <sup>3</sup> Quæ quidem ut diligentius exequamur, repetenda sæpius erunt scriptorum proxima. Nam præter id quod sic melius junguntur prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrigit, recipit ex integro vires, & velut repetito spatio sumit impetum, quod in certamine saliendi, fieri videmus, ut conatum longius petant, & ad illud quo contenditur spatium, cursu ferantur: utque in jaculando brachia reducimus, & expulsuri tela, nervos retro tendimus. <sup>4</sup> Interim tamen, si feret flatus, danda sunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat.

## Omnia

annuas necessitates pecunia depromebatur: alterum quod intactum erat, nec aperiebatur nisi ob ingentem Reipub. necessitatem, & ob repentinos casus. Simili metaphora Fabius dixit lib. undecimo, *sanctius sacrarium.* Turneb.

<sup>1</sup> *Nihil enim rerum ipsa natura, &c.]* Quod cito effectum esset, id Latini *effugisse* dicebant; sicut *elabi.* Gebhard. Crepund. lib. 3. c. 18. p. 151.

<sup>2</sup> *Ut majora animalia, &c.]* Quemadmodum *elephas* continetur, ut quidam ajunt, *decennio* in utero parentis: unde proverbium, *Citius elephanti pariant.* Aristotel. ait *biennio.* Turneb. *Ut majora*

*animalia, &c.]* Plin. lib. x. *Quo majus est animal tanto diutius formatur in utero.* Pithæus.

<sup>3</sup> *Quæ quidem ut dilig.]* Ut optime scribamus, non solum intueri debemus præsentem periodum, sed superiores quoque, ut *melior sit connexio*, ac *cogitatio* resumat impetum ex continuatione. Turneb.

<sup>4</sup> *Interim tamen.]* Aliquando sine superiorum repetitione, si facile succedit *inventio & verborum collocatio*, oratio continuanda est, adhibito tamen iudicio. quinetiam illa quæ profluxerunt, postea sunt emendanda. *Idem.*

<sup>1</sup> Virgi-



Omnia enim nostra dum nascuntur, placent: alioqui nec scriberentur. Sed redeamus ad iudicium, & retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Sallustium accepimus: & fane manifestus est etiam ex opere ipso labor. <sup>1</sup> Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus, auctor est Varus. Oratoris quidem alia conditio est. Itaque hanc moram & solitudinem initiis impero. Nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, <sup>2</sup> ut quam optime scribamur: celeritatem dabit consuetudo. Paulatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio sequetur: cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt. Summa hæc est rei, *Cito scribendo non fit ut bene scribatur: bene scribendo, fit ut cito.* <sup>3</sup> Sed tum maxime cum facultas illa contigerit, resistamus, <sup>4</sup> ut provideamus, & ferocientes equos frenis quibusdam coërceamus: quod non tam moram faciet, quam novos impetus dabit. Nec enim rursus eos qui robur aliquod in stylo fecerint, ad infelicem calumniandi se pœnam alligandos puto. <sup>5</sup> Nam quomodo sufficere civilibus officiis possit, qui singulis actionum partibus insenescat? Sunt autem quibus nihil sit satis omnia mutare, omnia aliter dicere quam occurrit, velint: increduli quidam, & de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant, facere sibi scribendi difficultatem. Nec promptum est dicere, utros peccare validius putem, quibus omnia sua placent, an quibus nihil. Accidit enim etiam ingeniosis adolescentibus frequenter, ut labore consumantur,

& in

<sup>1</sup> Virgilium quoque.] Solebat Vergil. paucos scribere versus initio impositos, quos deinde diligentissime retractabat: adeo ut diceret versus suos similes esse fortui urfino. Euripidem quoque ajunt aliquando vix uno die composuisse tres versus. Idem.

<sup>2</sup> Ut quam optime scribamur.] Pollio apud Plin. Secund. Commode agendo factum est ut saepius agerem: Saepè agendo, ut opinus commode. Pith.

<sup>3</sup> Sed tum maxime.] Etiam cum cito

scribere poterimus, immorari tamen nonnunquam debemus, ut cohibeatur impetus fervidior, iudicium adhibeatur, novus resumatur impetus. Turnebus.

<sup>4</sup> Ut provideamus.] Ac prohibeamus. Passerat.

<sup>5</sup> Nam quomodo.] Utendum est iudicio, ita tamen ut morositatem fugiamus, quæ perdere solet sanguinem & vires orationis, ut scripsit de Calvo Cicero. Turneb.

I Is



& in silentium usque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narrasse mihi Julium Secundum illum æqualem meum, atque à me, ut notum est, familiariter amatum, miræ facundiæ virum, infinitæ tamen curæ, quid esset sibi à patruo suo dictum. <sup>1</sup> Is fuit Julius Florus, in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps, alioqui inter paucos disertus, & dignus illa propinquitate. Is cum Secundum scholæ adhuc operatum, tristem forte vidisset, interrogavit, Quæ causâ frontis tam obductæ? nec dissimulavit adolescens, tertium jam diem esse, ex quo omni labore materiæ ad scribendum destinatæ non inveniret exordium: quo sibi non præsens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens, *Nunquid tu, inquit, melius dicere vis, quam potes?* Ita se res habet, *Curandum est ut quam optime dicamus: dicendum tamen pro facultate.* Ad profectum enim opus est studio, non indignatione. <sup>2</sup> Ut possimus autem scribere etiam plura, & celerius, non *exercitatio* modo præstabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam *ratio*, si non resupini, spectantesque tectum, & cogitationem murmure agitantes, expectaverimus quid obveniat, sed quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus qui iudicis animus intuiti, humano quodam modo ad scribendum accesserimus. Sic nobis & initia, & quæ sequuntur, natura ipsa præscribit. Certa sunt enim pleraque, & nisi conniveamus, in oculos incurrunt: ideoque nec indocti nec rustici diu quærunt unde incipiant: quo pudendum est magis si difficultatem facit doctrina. *Non ergo putemus semper opti-*

*muna*

<sup>1</sup> *Is fuit Julius Florus.* Julius Florus vir fuit eloquens, eloquentiam tamen exercuit duntaxat in Gallia Cisalpina. eloquentia autem Galliarum non tam elegans erat quam Romana. Romæ enim erat linguæ puritas. A Julio Floro sanguinem ducit L. Florus, qui epitomen scripsit in Livium. *Idem.*

<sup>2</sup> *Ut possimus autem.* Celerius scribemus si methodum adhibeamus, spectemusque omnes rei circumstantias. nam quidam nullam sequuntur methodum in cogitando & scribendo: itaque tardi sunt. eos reprehendit Fab. l. 2. c. 12. *Idem.*

*1 Dixer-*



*num esse, quod latet*: immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur, nisi quod non invenimus. <sup>1</sup> Diverfum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stylo quam velocissimo volunt, (<sup>2</sup> *hanc sylvam* vocant) & sequentes calorem atque impetum, ex tempore scribunt, repetunt deinde, & componunt quæ effuderant: sed verba emendantur & numeri, manet in rebus temere congestis quæ fuit levitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio sic opus ducere, <sup>3</sup> ut cælandum, non ex integro fabricandum sit. Aliquando tamen affectus sequemur, in quibus fere plus calor quam diligentia valet. <sup>4</sup> Satis apparet ex eo quod hanc scribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi delitiis sentiam. Nam in stylo quidem quamlibet properato dat aliquam cogitationi moram non consequens celeritatem ejus manus: ille cui dictamus, urget, atque interim pudet etiam dubitare, aut resistere, aut mutare, quasi conscium infirmitatis nostræ timentes. Quo fit, ut non rudia tantum, & fortuita, sed impropria interim, dum sola est connectendi sermonis cupiditas, effluant: quæ nec scribentium curam, nec dicentium impetum consequantur. At idem ille qui excipit, si tardior in scribendo, aut inertior in legendo velut *offensator* fuerit, inhibetur cursus, atque omnis quæ erat conceptæ mentis intentio, mora & interdum iracundia excutitur. <sup>5</sup> Tum illa quæ apertio-

rem

<sup>1</sup> *Diverfum est.*] Quidam velociter scribunt, postea quæ scripserunt emendant: sed *emendatio* pertinet duntaxat ad verba, interim remanet mala inventio. Latini autem appellant *sylvam*, extemporalem scripturam quæ postea emendatur. hinc sunt *Papinii sylva* & *Lucani*. Idem.

<sup>2</sup> *Hanc sylvam vocant.*] *Silva* Statii *Papinii* cujus hic notare videtur non titulum modo librorum, sed extemporaneum scribendi genus, qui ille præfationibus gloriatur. *Pith.*

<sup>3</sup> *Ut cælandum.*] Metaphora est ducta

à cælatoribus aut vasculariis. nam *vascularii* conflare solent optime opus, deinde exsculpere & expolire. *Turneb.*

<sup>4</sup> *Satis apparet.*] Solebant nonnumquam *declamatores* ex tempore orationes dictare, quas exciperent auditores. id multis de causis vituperat *Fabius*. Idem.

<sup>5</sup> *Tum illa quæ.*] Cum affectum movere volumus, necesse est ut ipsi moveamur: quod assequimur quibusdam adjumentis, ut *manuum jactatione*, & *pedum suppletionem*. Quod cum dictando facere non ausimus, necesse est ut oratio jaceat. *Idem.*

<sup>1</sup> Denique



rem animi motum sequuntur, quæque ipsa animum quodammodo concitant, quorum est jactare manum, torquere vultum simul, & interim objurgare, quæque Persius notat cum leviter dicendi genus significat,

*Neo pluteum*, inquit, *cadit, nec demorsos sapit ungues*: etiam ridicula sunt, nisi cum soli sumus. <sup>1</sup> Denique ut semel quod est potentissimum dicam: *secretum* (quod dictando perit) *atque liberum arbitris locum, & quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire* nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora, sylvasque quod illa cœli libertas, locorumque amœnitas, sublimem animum, & beatiorem spiritum parent. Mihi certe jucundus hic magis, quam studiorum hortator videtur esse secessus. Namque illa ipsa quæ delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest: & quocunque respexerit, desinit intueri, quod propositum erat. Quare sylvarum amœnitas, & præterlabentia flumina, & inspirantes ramis arborum auræ, volucrumque cantus, & ipsa late circumspectiendi libertas, ad se trahunt: ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem, quam intendere. <sup>2</sup> Demosthenes melius qui se in locum ex quo nulla exaudiri vox, nihilque prospici posset recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoque lucubrantes, silentium noctis, & clausum cubiculum, & lumen unum velut tectos maxime teneat. Sed cum in omni studiorum genere, tum in hoc præcipue bona valetudo, quæque eam maxime præstat *frugalitas, necessaria est*:

<sup>1</sup> Denique ut semel, &c.] Fabius existimat locum quietum aptum esse scriptioni, nec tamen probat *sylvas*, in quibus poëta ajunt versari *Nymphas* & *Musas*, propterea quod amœnitate animum avocant à cogitatione. Cæcilius tamen Plin. (ut scribit in quadam epist.) libenter in *sylvis* pugillares implevit. *Idem.*

<sup>2</sup> Demosthenes.] Demosthenes, ut scribit *Plutarchus*, domum subterraneam extruxit, in qua pronunciationem exercere solebat, solusque declamare: ac nonnunquam toto trimestri illic delitescere, comamque radebat, ne cogere retur foras prodire. *Idem.*



est: cum tempora ab ipsa rerum natura ad quietem refectio-  
nemque nobis data, in acerrimum laborem convertimus,  
1 Cui tamen non plus irrogandum est, quam quod summo su-  
pererit, haud deerit. Obstat enim diligentiae scribendi et-  
iam fatigatio: & abunde si vacet, lucis spatia sufficiunt: oc-  
cupatos in noctem necessitas agit. Est tamen *lucubratio*,  
quoties ad eam integri ac refecti venimus, optimum secreti  
genus. Sed silentium & secessus, & undique liber animus,  
ut sunt maxime optanda, ita non semper possunt continge-  
re: ideoque non statim si quid obstrepet, abjiciendi codices  
erunt, & deplorandus dies: verum incommodis repu-  
gnandum, & hic faciendus usus, ut omnia quae impediunt,  
vincat intentio. quam si tota mente in opus ipsum direxe-  
ris, nihil eorum quae oculis vel auribus incurfant, ad ani-  
mum perveniet. An vero frequenter etiam fortuita hoc  
cogitatio praestat, ut obvios non videamus, & itinere de-  
erremus: non consequemur idem si & voluerimus? Non  
est indulgendum caussis desidia. Nam si non nisi refecti,  
non nisi hilares, non nisi omnibus aliis curis vacantes, stu-  
dendum existimaverimus, semper erit propter quod nobis  
ignoscamus. 2 Quare in turba, itinere, conviviiis etiam fa-  
ciat sibi cogitatio ipsa secretum. Quid alioqui fiet, cum in  
medio foro, tot circumstantibus judiciis, jurgiis, fortuitis  
etiam clamoribus, erit subito continua oratione dicendum,  
si particulas 3 quas ceris mandamus, nisi in solitudine repe-  
rire non possumus? Propter quae idem ille tantus amator  
secreti Demosthenes, in littore in quod se maximo cum  
sono

1 Cui tamen non.] Non plus est tri-  
buendum *lucubrationi*, quam quod *somno*  
superesset: alioqui si plus *somno* detraxe-  
ris, naturam laeseris. hoc tamen est ex-  
pendendum ex corporis ratione & con-  
stitutione: quidam enim homines bre-  
viori *somno*, quidam *prolixiori* egent.  
*Idem.*

2 Quare in turba.] Quemadmodum  
Plinius Major in *balneis*, *conviviis*, *lecti-  
ca*, semper aut scribebat aut legebat.

tempus enim perire arbitrabatur, quod  
studiis non impenderetur. Sic Cato Uti-  
censis in Curia dum senatus cogeretur,  
legebat. *Idem.*

3 Quas ceris mandamus.] Vel anno-  
tationem capitum intellige & locorum  
praecipuorum: (id enim facere solebant  
olim oratores memoriae causa: atque  
hic sensus videtur melior:) aut certe ac-  
cipe *scripturae rationem*. *Idem.*

1 Debet



sono fluctus illideret, meditans, consuescebar concionum fremitus non expavescere. Illa quoque minora (sed nihil in studiis parvum est) non sunt transeunda, scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quæ ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, & cogitationis impetum frangunt. Relinquendæ autem in utrolibet genere vacuæ tabellæ, in quibus libera adjicienti sit excursio. Nam interim pigritiam emendandi angustia faciunt, aut certe novorum interpositione priora confundunt. Ne latas quidem ultra modum esse ceras velim, expertus juvenem studiosum alioqui prælongos habuisse sermones, quia illos numero versuum metiebatur: idque vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus esse sublatum. <sup>1</sup> Debet vacare etiam locus, in quo notentur quæ scribentibus solent extra ordinem, id est ex aliis quam qui sunt in manibus loci, occurrere. Irrumpunt enim optimi nonnunquam sensus, quos neque inferere oportet, neque differre tutum est: quia interim elabuntur, interim memoriæ suæ intentos, ab alia inventione declinant: ideoque optime sunt in deposito.

<sup>1</sup> Debet vacare etiam.] Aliquando cum priorem partem, verbi causa, orationis scribimus, venit nobis in mentem alicujus argumenti, aut alicujus senten-

tia quæ utilis est futura in summa orationis parte. ne igitur obliviscamur, statim in margine annotare debemus. Idem.

## CAP. IV.

## De emendatione.

**S**equitur *emendatio*, pars studiorum longe utilissima. Ne-<sup>4</sup> que enim sine causâ creditum est, stylum non minus agere, <sup>1</sup> cum delet. Hujus autem operis est, *adjicere, detrudere,*

**C**um delet.] Styli pars altera est *acuminata*, qua scribimus: altera *obtusa & latior*, qua delemus. Hinc illud Horatianum, *Sæpe stylum vertas*. Divus

quoque Hieronymus partem illam *styli* appellat optimam, ita scilicet commendans emendationem. Turneb.